



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

CCCXCIII. Markgraf Woldemar überläßt dem Kloster Kampen am Rhein die
Dörfer Kiewe, Kötz, Winterfeld, Wusterade, Schönefeld, Berlin und Gloien
bei Wittstock, in der Pfingstwoche des Jahres 1311. (7. ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

Romanorum Rex, de consilio nostro et aliorum coelectorum nostrorum illustribus principibus Friderico, Leupoldo et Heinrico presentibus et fratribus eorum Alberto et Ottoni absentibus, ducibus Auftrie et Styrie, affinibus nostris karissimis, Ducatus Auftrie et Styrie ac dominia Carniolem, Marchiam et Portusnaonem, nec non comitatus ac dominia et omnia jura ac bona feodalia, quocumque nomine censeantur, quos vel que dicti duces ac progenitores ipsorum hactenus ab Imperio tenuerunt et possederunt in Sweuia, in Alsatia et alibi, cum omnibus juribus, libertatibus et consuetudinibus, sicut tempore antecessorum dicti domini nostri Regis eadem feoda tenuerunt et possederunt, contulit et Eisdem duces scepro Regio cum debitis sollempnitatibus de eisdem bonis et feodis inuestiuit; Nos huiusmodi collationi et inuestiture consensum nostrum adhibemus beniuolum et expressum. In cuius rei testimonium et euidentiam sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum in Spandowe, III^o. kalend. Aprilis, Anno domini millesimo trecentesimo vndecimo.

Nach dem im k. k. Geh. Haus-, Hof- und Staats-Archive zu Wien befindlichen Originale.

CCCXCIII. Markgraf Woldemar überläßt dem Kloster Kampen am Rhein die Dörfer Kiewe, Kötz, Winterfeld, Wusterade, Schönefeld, Berlin und Gloien bei Wittstock, in der Pfingstwoche des Jahres 1311. (7. bis 13. Juni).

In nomine Domini Amen. Woldemarus, Dei Gratia Brandenburgensis, Lusatiae et de Landsberg Marchio, tutorque Incliti Johannis, Marchionis Brandenburgensis, omnibus hanc literam visuris in perpetuum. Quoniam status hominum ad ulteriora descendit indefinenter, ea, que inter mortales ordinantur, iusto Scriptis annotantur etc. — Hinc est, quod notum esse volumus presentibus et futuris, quod cum fratres Monasterii Campensis, ordinis Cisterciensis, Dioecesis Colonienensis, damnorum quorumlibet onere per nostros et alios nostri occasione in suis bonis sint oppressi, Cujus videlicet oppressionis incommodo restaurationem facere cupientes, ne pro temporali commodo eterni gaudii reddamur expertes, Predictis fratribus Villam Kieven et ejusdem Ville fundum, proprietatem, possessionem et libertatem cum omni iure, Jurisdictione, Judicio Capitali et manuali, cum Jure Patronatus, cum distinctionibus terminorum, quos ab antiquo habuit et in presens habet, in agris cultis et incultis, arvis, Silvis, nemoribus, pratis pascuis, paludibus, stagnis, piscariis, molendinis et earum aquarum decursibus, ac cum omni utilitate perpetuis temporibus possidendum, Sicut etiam alia sua bona ipsis libera et pleno Jure data possidere noscimus. Proinde iidem fratres nobis dederunt et integraliter persolverunt in numerata pecunia Centum Marcas argenti Brandenburgensis et ponderis, de quibus ipsos quitos quoad Nos et nostros heredes simpliciter nunciamus. Et ad hoc de predictis damnis nostro intuitu illatis Nos liberos et ab omni sinistra Scrupuli memoria immunes voluntario reddiderunt. Insuper damus donatione libera per presentes Curiam Kötz cum stagno Kötz et rivo ab eodem decurrente et Villas Winterfeld, Wusterade, Schönefeldt, majorem Berlin et Gloien

cum ipsarum fundis, proprietatibus et possessionibus et mansis ipsi Curie et Villis adjacentibus cum omnibus Judiciis, cum omnibus libertatibus et Jurisdictionibus, quas in presens et futurum habere possemus, cum Judiciis Capitalibus et manualibus, cum Jure Patronatus Ecclesiarum in eisdem villis, cum distinctionibus terminorum, quos ab antiquo habebant et nunc habent, in agris cultis et incultis, Arvis, Silvis, nemoribus, pratis, pascuis, paludibus, stagnis, pascuorum Utilitatibus, aquis, piscariis, molendinis et earum aquarum decursibus ac omnibus utilitatibus, que inde provenire poterunt, quieto Jure perpetuo possidendas, sicut alia sua bona possident et hactenus possederunt. Dimittimus etiam homines, predictas Villas et Curiam inhabitantes et inhabitaturos, liberos et exemptos ab omni onere advocatie, a pontium positione, Urbium edificatione, aggerum exstrukione, armorum expeditione, Telonii solutione, vectigalium administratione et ab omni castrensi servitio, quocumque licet nomine censetur, Insuper ab omni exactione, si quam Universaliter in omnes vel particulariter in singulos nostre terre Colonos facere nos contingeret, ita quod predictarum Villarum Coloni et Curie ejusdem nulli, nisi ipsis fratribus et ipsorum Uibus, ad onera et Servitia adstringantur. Eximimus etiam Villam Kieven Curiam et alias villas premissas cum terminis suis ab omni genere mensurationis, ita quod nec nobis, nec nostris successoribus eas licebit de cetero mensurare, sed quidquid in terminis ipsarum, quod ab antiquo habuerunt et nunc habent, contentum est, hoc totum cum omni fructu et utilitate ad dictum Monasterium pertinebit pleno Jure. Omnis etiam Judicaria potestas super universos ipsos fratres servientes et colonos et ceteros in ipsorum bonis commorantes ad ipsos pertinebit fratres in omni causa. Confirmamus etiam et ratificamus per presentes omnes libertates et iura, quae ipsis fratribus in dicta Curia et Villis et earum attinentiis supra positis per Dominos Slaue, fideles nostros et nobiles, indulta sunt et ipsorum literis et instrumentis non abolitis, non rasis, non Cancellatis, non in aliqua sui parte vitiatis continentur; Nostro et Illustris Joannis, Marchionis Brandenburgensis, nostri Sororii prefati, cujus gerimus tutelam, nomine, expresse protestantes et presentibus nos ad hoc publice obligantes, quod dum primum idem Marchio ad annos legitime etati deputatos devenerit, premissa omnia et Singula approbabit, justificabit et in omni sui parte Confirmabit et sui Sigilli literis roborabit. Ad majorem nihilominus evidentiam Illustris Anna Ducissa Wratislaviensis, ejusdem Joannis Marchionis genitrix, sigillum suum nomine dicti filii sui presentibus literis apponere dignum duxit. Ut omnia autem predicta et predictorum quodlibet non possit per nos vel nostros heredes et successores aliquo modo immutari vel vitari, presentem paginam cum nominibus testium et nostri sigilli robore duximus roborandam. Testes sunt Domini Reverendus in Christo Joannes Abbas de Lehnin, Henricus de Alvensleben, Conradus de Reder, Nicolaus de Buk, Henricus Schenko, Gerhardus de Kerkow, Arnoldus Sack, Bernhardus de Buk, Slotheco et Hermannus Capellani, cum pluribus aliis fide dignis. Actum et datum Tangermunde, Anno Domini millesimo trecentesimo Undecimo, in Septimana Pentecostes.

Nach einer alten Copie der Wittstoecker Magistrats-Registratur. Im Extracte bei Ludwig, Reliq. VIII, 306 und Künig's Opusc. Collect. XIII, 98.